... Univ. Jagell.
... Philosopher.

1688 18 Octobris

~~Poezya 3060.~~

Szurowski Stanisl. Michaelis: Parnassus Academicus Apollinis et Musarum ornamentis decoratus XI VV. DD. primae laureae Candidatis — dedicatus.

PARNASSUS ACADEMICVS,

Apollinis, & Musarum ornamentis

DECORATVS.

XI. VV. DD. PRIMÆ LAVREÆ CANDIDATIS.

DVM

IN ALMA VNIVERSITATE CRACOVIENSI,

PER

EXCELLENTISSIMVM, ac DOCTISSIMVM DOMINVM,

D.M. DANIELEM THOMAM GOMVŁCZYNSKI,

Philosophiæ Doctorem & Professorem, Collegam Minorem.

In frequentissima Nobilissimorum Hospitum, & Academici Senatûs Corona

Artium & Philosophiæ Baccalaurei

RITV SOLENNI

RENVNTIARENTVR.

Amoris, & gratulationis ergò.

A

STANISLAO MICHAELE SZVROWSKI,

eiusdem Laureæ CANDIDATO.

Panegyrico applausu

DEDICATVS.

Anno Salutis 1688. Die 18. Octobris.

CRAC: Typis NICOLAI ALEXANDRI SCHEDEL S.R.M. Ord: Typogr.

In Gentilitium Stemma
JLLVSTRISSIMÆ DOMVS
WIELOPOLSCIANÆ.



PEGASVS Aonio celebratus Carmine Vatum,
Dulcia qui Musis, calce fluenta dedit,
Immortale decus meruit. Sed clarior iste
Qui dedit insignes, Marte togaq; Viros
Rupibus ille sacris, vitreos deducere fontes,
Et poterat forti scindere saxa pede;
Hic Geticas acies calcans, & robora Martis
Aurea sæclâ Lechis, Aureus ipse dabit.

JLLV-

JLLVSTRISSIMO DOMINO
D. FRANCISCO
Comiti in Pieskowa Skáłá.
WIELOPOLSKI,
Generali Minoris Poloniæ, Capitaneo Cracouiensi, Bochnensi, &c. &c.
DOMINO DOMINO, & PATRONO AMPLISSIMO.

FLorentem in Orbe Sarmatico, & Regali munificentiâ ad summam gloriam euectum magno Heliconidum delicio, Pegaso Tuo, *cum profunda veneratione dedico, & consecro Parnassum.* ILLVSTRISSIME DOMINE. *Auspicatissimus ille* Sonipes Tuus, *tanto sæculorum tractu ad metam immortalis gloriæ decurrens, genuinum Patrocinii sinum ostendit; cùm ipse sit qui Heliconios fontes felici vngulâ excauauit. Dulcia sunt Musarum fluenta, sed dulcedinem illis* Pegasus Tuus *dedit, qui nisi venas salientis aquæ rupisset venæ ingenii Magnorum Pòetarum exsicatæ iam pridem exaruissent. Hauserunt tot sæcula ex vberrimis fontibus* Tuis *quidquidusþiam magnum & gloriosum fuerat, tantaq; inexhaustæ gloriæ* Tuæ *amplitudo semper manebit, cui exhauriendæ ipsa etiam immortalitas non sufficiet vnquam. Celsissimi Maiores* Tui *quanquam Magnitudine suâ omnis æui laudes excesserint vel in solo* ILLVSTRISSIMO *olim* Auo Tuo IOANNE WIELOPOLSKI, *Palatino Cracouiensi, compendium omnis gloriæ fecerunt, cùm ipsi & Gradiui felices Laureæ, & Legationum magnificentia, & Senatûs amplissima dignitas, ita ad Panegyres omnes seruierit, vt incomparabile Nomen eius, & nihil æquale habeat, & omnia sæcula vincat. Non capiunt eum calami omnes, non capiunt Cytharæ Vatum, sola non nisi* ILLVSTRISSIMI *olim* Parentis Tui *Supremi Regni Cancellarii capiebat eum animi magnitudo, virtutum excellentia, facundiæ Maiestas, consilij Senaculum, ac integerrimi pectoris cara Deo, ac hominibus probitas, quâ summi Viri laudes meruit, & coronas. Ille Serenissimorum*

)(2

Regum

Regum Oracula locutus, etiam Monarchas Europæ in admirationem deduxit. Ille Patriam in summis periculis constitutam dictis, & factis ingentibus securam reddidit. Ille capacissimâ mente suâ quidquidusspiam sapientissimum fuerat adeò comprehensum habuit, vt Sarmaticus Orbis in eo vniuersam Senatûs grauitatem, & consiliorum prudentiam stupere sit coactus. Quanquam verò dolore omnium maximo summas animi dotes terris negatas tempestiuè Cælo intulerit; cultissima tamen mentis eius facies & augustum omne, sic in Te ILLVSTRISSIME DOMINE, Patriæ nostræ refulget, vt Magnum in Te Auum, & Patrem intueri, totamq; Maiorum seriem non sine suauissimo animorum gaudio liceat contemplari. Tota scilicet humanissimi pectoris dulcedo, tota comitatis gloria, totus gratiarum Senatus sic in Te residet, sic omnium animos in Tui amorem rapit, vt non alia sint pro Te omnium vota, nisi vt virtute, & honore Tuo dignitatis, & gloriæ fastigia omnia vincas. Vtq; hic Pegasus Tuus qui nuper Præfecturæ Cracouiensis Insignia tanto triumpho in Vavellum detulit, magnis deinceps onustus trophæis, coronatusq; honoribus, in Celsissimo Orbis Sarmatici Capitolio spectetur. Inclinat se illi etiam Parnassus Noster, cum literato cultu, atq; sub vestigiis eius hæc Musarum Coronamenta ponit; vt qui triumphorum plenus, Marte, togâq; semper eminuit, etiam cum Musis, & Charitibus erudito Patrocinio triumphet. Dabis hoc illi summâ animi Tui magnitudine ILLVSTRISSIME DOMINE, & cùm minimam tenuitatem meam ex fontibus eius haurire concedes, vota hæc Nostra coram Diuina Maiestate mereberis, vt fontes gloriæ ex alto semper inexhausti Tibi vberes fluant, Pegasusq; Tuus semper Augustus, semper magnis vestigiis ad immortalia decurrens non consistat, nisi coronata Celsissimi Nominis, & Supremi honoris in meta. Ita vouet, ita precatur.

Illustrissimæ Dominationis Tuæ

Humillimus Cliens.

STANISLAVS MICHAEL SZVROWSKI, Primæ Laureæ Candidatus.

D. IOAN.

Clarissimo & Admodum Reuerendo Domino,

D. M. BASILIO PLASZCZEWSKI,

Philosophiæ Doctori & Professori, Collegæ Maiori, Canonico S. ANNÆ.

Clarissimo & Excellentissimo Domino,

D. M. ALBERTO WOLSKI,

Philosophiæ Doctori & Professori, Collegæ Minori, Musarum Iagellonicarum dignissimis Præsidibus.

In symbolum debitæ venerationis & gratitudinis.

Sublime Parnassi fastigium aureis Musarum coronis coronatum.

CVM LEMMATE.

His clarius fulget.

SAcrata vatum pectora Lauriger
Apollo doctis plausibus entheat,
Nouemq; conuocat sorores,
Culminibus residendo Cyrrhæ.
Vt vos Polonæ lumina Palladis,
Argos togatos, peruigiles sacri
In Orbe Musarum vireti,
Condecoret celebri triumpho.
Amæna res hæc, cum sapientiæ
Amore præstat, scilicet omnium
Doctrina gazarum profundas
Vincit, & exsuperat fodinas.
Nullusq; Ganges maius habet penu,
Arabsq; nullus pondera tot gerit
Auri nitentis, quot togatis
Pallas habet pretiosa gazis.

Illa

Illa est coronis florida Thespijs,
Regale Culmen condecorantibus
Pindi virentis; sed nec auro
Illa caret, radiatq́ latè.
Inter Coronas Palladias nitor,
Ex eruditis partibus aureus,
Fastigiumq́ purpuratum,
Gemmiferum diadema cingit.
Ex his coronis prima Tibi datur,
Præses sophôrum maximè purpura
Quem cingit erudita, & Orbi
Gloria pulchra virum reuelat.
Tu nempè præstas dotibus ingeni
Ornate magnis, Tu sapientiæ
Sophûmq́ ZOŁWINSKI *refulges*
Purpureo decoratus ostro.
Os eloquentis nam Tibi Gratiæ,
Et suada dulcis contulit, & sacris
Tu dignus exedris triumphas
Tu sapiens loqueris togata.
Visendus inter pulpita, Gordios
Nodos resoluens. Principibus viris,
Regumq́ sanguini, beatis
Tu poteras placuisse curis.
Iturus exin celsiùs hâc Tui
Virtute cordis doteq́ maximâ
Quo sorte felici vocaris
Parq́ tuis meritis corona.
Te cinget olim. Nec Tibi Gratiæ
Plaudunt minores, totaq́ se Tibi
Exedra PLASZCZEWSKI *sophôrum*
Et Cracidos Peripatus omnis
Submittit; in quo cernit acumina
Mentis togatæ cernit & aureos
Fulgere Doctorum nitores,
Eloquij decus omne sacri.

D. IOANNI CANTIO

Regni Poloniæ, & totius Parnassi Iagellonici PATRONO, ac Præsidi SVPREMO;

Author offert.

Festiuum Apollinis, & Musarum Iagellonicarum Concentum.

CVM LEMMATE.

Te adiuvante càntabunt æternum.

DIue, qui Musas regis eruditas,
Cracidum Præses, Pater, atq; sydus
Orbis augustum, sapientiæquè
Aurea lampas.

Thespij non tàm nituêre montes,
Hybleis non tàm viror in viretis
Vernat, & Delon quoties amænam
Visit Apollo.

Vt Tui floris pretiosa vernat
Gratia, & dulci recreat virore
Cracias Ædes, super eruditi
Culmine Pindi.

Lechicæ Musæ Peripatus omnis
Floribus doctis reuirescit ex Te,
Tu decus nostrum, radiansq; Phæbi
Gloria nostri.

Palladis quidquid patet in togatis
Fulget, & regnat Cathedris, Beate
Hoc Tibi debet Pater vniuersa
Aula sophôrum.

Viuimus per Te, ſapimuſq; doctè,
Vita Tu nobis, columenq; ſacrum,
Floſq; Doctorum, ſpeculumq; caſti
Pectoris in Te.
Hinc Tibi laurus viridiſq; ſurgit
Frontibus noſtris, ſapienſq; palma,
Hinc Tibi cultus ſacer, & triumphi
Gratia magni.
Mitte cæleſti reſidens in aula,
Lechiæ afflictæ iubar auſpicatum,
Vt procul pellat tenebras pericli
Luce ſerenâ.
Hoſtium ſæuas, rabidaſq; turmas
Pelle, ſis fulmen Geticis cateruis,
Vincat vt Thraces Lechicus cruento
Enſe Gradiuus.
Siſq; Parnaſſi Cynoſura noſtri,
Sis Nouenarum radians ſororum
Lumen, & dulcis Charitum voluptas,
O Pater alme.
Sic manus noſtræ, cineres beatos
Lilijs ſpargent, Tibi ſic profundo
Supplices cultu, dabimus perennes
Vndiq; plauſus.

CLARISSIMIS & EXCELLENTISSIMIS DOMINIS

EXAMINATORIBVS.

Clariſsimo & Admodum Reuerendo Domino,

D M. ALBERTO ZOŁWINSKI.

Philoſophiæ Doctori & Profeſſori, Collegæ Minori, Eccleſiæ Collegiatæ SS. Omnium Canonico, ac interea Artiſticæ Facultatis

DECANO.

Clariſ-

Totq; elegantis munera Gratiæ;
Quæ te coronant, & quibus omnium
Virtute doctrinâq; pollens
Corda rapis, meritòq; vincis.
Præclara WOLSKI *Diua Mathematum*
Virum popoſcit Te ſibi, ſyderum
Orbes, vt aureoſq; nexus
Cælituum meliore ductu
Orbi reueles, hæc Tibi cælica
Fauet venuſtas, Tuq; ſcientiæ
Dotes beatas, cum modeſto
Pectore, cum calamoq; iungis
Sat erudito. Pegaſeus proin
Apex, & omnis gloria Apollinis,
Vos flore Parnaſsi coronat,
Vos Cytharæ virideſq; poſcunt
Laurus Sophorum, quas animo pari,
Cultuq; Vobis perpetuo lyræ,
Cùm dedicamus vota plectro
Hæc canimus per amæna Pindi
Vireta noſtri. Viuite Cracijs
Amica Muſis, pectora viuite,
Phœbea corda Gratiarum,
Neſtoreis pretioſa ſæclis.

PARNASSVS ACADEMICVS.

I. V. D. ANTONIO WOSINSKI.

APOLLO.

Præſes Parnaſsidum cum Cythara.

CVM LEMMATE.

Tibi primus honos.

ET me Camænæ non ſolitum loqui,
Iuſsêre tandem laudibus inclytum
Æquare cælo, quem Minerua,
Artibus egregijs beauit.

Te

Te Stoa doctis annumerat viris,
Panditq; laudis præmia candida,
Eburq; tradit gratiosum,
Castalius Tibi Phæbus ipse.
En lux Sophorum, Craciadum decus,
Clari Parentis splendor amabilis,
Et sydus, ANTONI coruscum,
Ingenio celebri WOSINSKI.
Vt nomen altum cum titulo geris,
Primos honores vt Tibi Gratiæ
Donant togatæ, sic Parentum,
Tu speculum, Patrijq; norma
Luces Trionis quando Tibi suum
Et Suada Princeps eloquij dedit
Nectar, Sophûmq; quando doctæ
Te Cathedræ meritis coronant
In erudito culmine laureis.
Sic ergo magni Tu Columen Patris
Floresce, Maioresq; semper
Accumula meritis honores.

II. V. & R. D. ANTONIO CONSTANTINO STEPHANOWICZ.

CALLIOPE.

Eloquentiæ Dea.

CVM LEMMATE.

Suadâ canorus.

DVm mihi Laurigeræ sunt symbola pulchra cohortis
Enarranda, sacro dignus honore venis.
Et quas narrabo dotes, quæ lumina mentis?
Non superest tantis laudibus ingenium.
Clarus es eloquio, maturo pectore clarus,
Osq; Tibi cultum mellea Suada rigat.
Te Peripatus amat, Te doctæ Stoa coronæ,
Et Charites in Te complacuêre sibi.
Clare STEPHANOWICZ Tu Iuris grande Tribunal,
Tu Themidis sacros iustitiæq; lares
Lustrâsti, Canonumq; vias, responsaq; nôsti,
Et quidquid Magnus Iustinianus habet.
Moribus es cultus, suauis dulcedine mentis.
Iudiciumq; animi nobile præsto Tibi est
Hinc dotes placuêre Tuæ, pectusq; modestum,
Hinc Tua Principibus Musa placetq; Virus.
Regalesq; Tibi quoniam patuêre fauores,
Palladis est etiam iusta corona Tibi.
Illam Calliope Suadæ cum nectare dulci
Offert, cum lauru Pieriaq; Tibi,
Ergo coronatis dum fulges vndiq; donis
Altiùs assurgas, sisq; corona Tibi.

III.

III. V. D. LAVRENTIO ZELECZKI,

C L I O.

Gloriam pollicetur.

CVM LEMMATE.

Tibi quoq; gloria surget.

TV qui Maiorum decoratus Stemmate claro
Splendes, Lechiaci cara propago Soli.
Ad mea descendes Phæbea carmina plectri,
Clio Tibiq; suum psallet amica melos.
Pieridum lux es quoniam spectata sororum,
A Musis etiam symbola docta petis.
Cunctos excellis ZELECZKI, tùm Stagyrites
Iam Sophicos nodos soluere Te docuit.
Respondet generi claro virtutibus in Te
Præcellens animus, dotibus egregijs
Coniunctus, studijq; Tui pulcherrimus Ordo,
Et quæ Te decorat Suada deserta Tua.
Ingenio polles rostris felicibus in Te
Spectatur Latium, Musaq; docta placet.
Pectoris has dotes hæc munera mentis eburnæ
Diligit & Phæbus, Cracia Pallas amat.
Gloria Te sequitur magnæ dignissima laudis,
Virtutes animi quam meruêre Tui,
Culmina Parnassi conscendes omine fausto
Pegasidumq; Tibi plaudet amica cohors.
Sic in honorata viues cultissimus auge,
Sic generi claro, par Tibi nomen erit.

IV. V. D. SIMONI WNOROWSKI.

T H A L I A.

Virorem virtutis donat.

CVM LEMMATE.

Recreat mentes.

TE natale decus, iunctaq; Palladi
Naturæ bonitas optima, nobili
Maiorum decorat sanguine; quem sequi
Fas est non humili gradu.
In Te Socratici vincula pectoris,
Soluit conspicuæ vis sapientiæ,
Tu candore nites mentis eburneæ,
Sublimi ingenio micans.
Phæbo diligeris, totaq; Gratiæ
WNOROWSKI Tibi se Pegaseæ dicat
Maiestas Latij totaq; gloria
Oris nectare cernitur.

Virtutum

Virtutum placuit flos viridis Tibi;
Vernas Palladijs Tu quoq; floribus
Sic vernans animi, Te sibi gloria
Magnis vendicat ausibus.
Hinc floresce magis, quod voueo Tibi
Assurga'q; Tuis maior honoribus,
Vt sis Pieridum splendor, & aurea
Claræ lux sapientiæ.

V. V.D. STEPHANO ROSOŁOWSKI.

MELPOMENE.

Vatum Heliconis coronamentum dedicat.

CVM LEMMATE.

Vatum testudine clarus.

DVm colis Musas Heliconis alti,
Et Tuum pectus reficis Mineruâ,
Cor Tibi doctum sapit & togatæ
Palladis artes.
Nam ROSOŁOWSKI sapientis vmbræ
Tegmen augustum, Tibi gratiosas
Contulit dotes, placet & beati
Gloria Pindi.
Antra Pirenes, Clariosq; Phœbi
Diligis fontes, Cytharasq; dulces
Hinc Tibi plectro resonat fauenti,
Carmen amicum.
Suada facundo Tibi ridet ore,
Atticus dulcor Tibi sudat omnis,
Quando per doctas Cathedras diserto
Ore triumphas.
Ergo Parnassi vireas in auge
Dotibus clarus, Cytharæq; doctæ
Sit Tibi carmen, quod honoris alti
Omina cantet.

VII. V.D. IOANNI MICHAŁKOWICZ.

TERPSICHORE.

Auream Chelym cum ramis oleæ offert.

CVM LEMMATE.

Pacis & eloquij Maiestas.

QVidquid habet Virtus, quidquid pulcherrima rerum
Naturæ series, quidquid Phæbeus in Orbe,
Dulcor habet, totum Tibi dat Parnassia rupes,
Clare MICHAŁKOWICZ, quando testudinis offert,
Auricomæ munus, Tibi Musæ dextera vernans,
Aureus

Aureus es, tanto quia Phæbi munere dignus
Terpsichoreq; Tibi dum fuluo clara metallo
Aurea dona dicat. genius nam pulcher, & altus
In Te respondet suaui dulcedine mentis.
Si loqueris, Suadæ loqueris monumenta disertæ,
Si sapis, ingeniosa sapis, Tu dogmata Stoæ,
Magnaq; spes de Te doctrinæ surgit in auge,
Te virtus etiam, Te mentis pulchra modestia
Gratia condecorat, sic & virtute beatus,
Et studio sapiens absoluis cuncta, sacrasq;
Pegasidum laurus, summa cum laude mereris;
Terpsichores sic docta Chelys Tibi munus amicum
Offert ex voto, quo Tu celsissima Pindi
Culmina dum scandis viues clarissimus Orbi.

VIII. V.D. ANDREÆ BŁASKIEWICZ.

E R A T O.

Affabilitatem oris & animi dicat.

CVM LEMMATE.

Suaui lectissimus ore.

CAstis delicijs Gratia Te sibi
Coniunxit, sapiens Inclyte BŁASZKIEWICZ.
Quando Musa Tibi donat eburneæ
Mentis pignus amans scilicet hoc Tuo
Debetur genio, nobilis ingenî
Quo seu per Cathedras Craciacæ Stoæ
Tu clares, studij nomen amabile
Clarâ luce refers. seu Tibi suauitas
Et facunda placet gloria Tullj
Os illustre refers. Sed neq; Gratias
Virtutum faciles, aurea mens negat
Vultus suauis habet, nectar in aureis
Et mel dulce labris, totaq; laus Tibi
Est mentis bonitas. quæ Tibi pectorum
Nexus conciliat. Sic igitur Tuis
Præclaris niteas dotibus & sacer,
Flos esto studij, sic bonitas Tua
Laurus Palladias dum meruit Tibi,
Magnis condecoret Te quoq; honoribus,
Musis emeritæ laurea gloriæ.

IX. V.D. STANISLAO LECIEWIC.

POLYHYMNIA

Eruditi & modesti insigne pectoris consecrat.

CVM

CVM LEMMATE.

Pectus virtute modestum.

Optime LECIEWIC cùm Te comprèndere versu,
Atq; Tuas dotes, cum probitate volo.
Inclytus eloquio, dum Suadæ munera tractas,
Censeris dulci nectar ab ore loqui.
Te Tua Parnassum probitas conscendere fecit
Nam virtutis honos protinus eminet, &
Inde Tuos vultus, grauitas matura serenat,
Parq; Tibi virtus, par animiq; decus.
His Te muneribus donat Polymnia Musa,
Culmina Phœbei quæ sacra collis habet,
Publica Doctorum Tu dogmata pectore culto
Suscipis, & Cathedras Tu collis ipse Sophûm,
Si facunda placet dicendi gloria, per Te
Omnibus ex Suada rostra beata placent,
Eloquijq; sacri si Te Fraterna reposcet
Gratia, quæ magnis eminet in Cathedris,
Hanc imitare libens, hanc toto pectore conde
Exemplar Tibi sit, quod placeatq; sequi
Hoc age virtutis studio sidoq; labore
Vt sis laurigero dignus honore Tuo.

X. V. D. IOSEPHO ZAPARTOWICZ.

EVTERPE

Cultioris facundiæ gratias confert.

CVM LEMMATE.

His eminebis.

Facunda Magni gloria Tullij,
Te poscit inter Sarmaticos lares,
Te dulcis in summo coronat
Vertice, flexanimi nitoris
Suadæ voluptas. Ingenium Tibi
Promptum est beati pectoris, & sacræ
Tibi Camænæ gratiosis
Munera dant pretiosa dextris.
Dos elegantis sic Tibi Gratiæ
ZAPARTOWICZ est vndiq; florida,
Seu Stoa respondet Sophorum,
Eloquium Tua siue poscunt
Oris diserti dogmata, seu stylo
Certare manis, omnia ditibus
Effusa gazis, literatum
Ferre Tibi decus ominantur.
Ex eruditis cætibus, hinc bonas
Artes secutus, viue beatior
Viriliq; Te virtus togatis.
Adnumeret Tua luxq; mentis.

XI. V.

XI. V. D. STANISLAO GRVSIKOWSKI.

VRANIA

Coronam ex Orbibus Syderum dedicat.

CVM LEMMATE.

Mentem ad sydera tollit.

Syderum Præses, nitidiq; Musa
Clarior Cæli, meliore voto
Fert sacrum munus, Tibi GRVSIKOWSKI,
Omine fausto.

Mens Tibi celso veniens Olympo,
Fertur in cælos meditata latè,
Fulgidos sphæræ radiantis Orbes,
Lumina Phœbi.

Huc agis cordis sapientis illud
Lumen augustum, Tibi quod togatâ
Mente sat fulget, propiorq; cælo
Sydera tangit.

Nec Sophûm quando Cathedras per omnes
Diligens versas, studium minori
Luce spectaris, Stagyræq; pulchro
Dogmate præstas.

Ergo iam claudat, Tua Musa nostri
Dona Parnassi, Tibi destinati,
Muneris voto, columenq; Pindi
Sit Tua virtus.

VI. V. D. STANISLAO MICHAELI SZVROWSKI,

Primæ Laureæ Candidato Authori Operis.

In argumentum mutui affectûs, & gratulatorij applausûs,

Tres Gratias Supremi Deorum Iouis Filias.

CVM LEMMATE.

Gratiæ Tibi debentur.

V. D. LAVRENTIVS ZELECZKI,

Eiusdem Laureæ Candidatus Offert ac dedicat.

Gemmiferis dum Nos Musarum fructibus auges;
Ne desint donis munera digna Tuis.
Concors Te nostro comitatur gratia vultu,
Vt Charites mandant, & meus altus amor.
Vnaq; blandarum Tibi reddo terna Sororum
Munera; Supremus quas Iouis ipse tulit.

Scilicet

Scilicet Aglais Tibi morum mente serenâ
Offert dulcorem, lætitiam Euphrosine,
Et carpit virides laurus sacrata Thalia,
Vt sint virtutis symbola pulchra Tuæ.
Postulat hoc in Te laudanda scientia rerum,
Ornat quam probitas, cultaq; Musa Tua.
Dotibus ingenij decorâsti sanguinis ortum.
Flora cuî Suadæ mellea dona dicat.
Pegasides vatum cuî suauia plectra dedêre
Cuî dedit Aoniam dulcis Apollo lyram.
Ergo cùm magnum virtutis pandis odorem,
Debetur meritis Gratia terna Tuis,
Te Charites, Te Phæbus amet, laurusq; coronent
Hoc meus exoptat, candor, amorq; Tibi.



SVB FELICISSIMIS AVSPICIIS,

Magnifici Perillustris & Reuerendissimi Domini,

D. M. MARTINI WINKLER,

S. T. DOCTORIS & PROFESSORIS,

Ecclesiarum, Cathedralis Cracouiensis Canonici, Collegiatarum Sendomiriensis Præpositi, Scholastici Kielcensis, Curati Præmykouiensis, Scholarum Nouoduorscianarum, & Contubernij Gelaniani Prouisoris, S. R. M. Secretarij, Studij Vniuersitatis Cracouiensis Generalis & Vigilantissimi,

RECTORIS.